leuis uentus inflat. Nec addita est hic ulla litera. Nummum hunc argenteum uidi aliquando apud D. Antonium Augustinum Romæ.

In una parte.

120. Augustus inornatus habetur, obtutu sinistro, sine ullis literis.

In altera.

Arcus triumphalis, cuius summo fastigio quadriga Victoriæ ad nos inuehi uidetur. Ab lateribus in portis aspilis Victoriæ laureas attollunt. Frontispicium tale monumentum habet dedicatorum. S. P. Q. R. IMP. CAE. infrà. L. VINICIVS. Hunc nummum argenteum ego apud me domi adseruo.

In una parte.

121. Augustus uidetur aperto capite, dextra facie; cum talibus literis subter collum adpressis. IMP. CAESAR DIVI F.

In altera.

Eques armatus, thoracatus, paludatus, paludamento latè uentilante, dextra porrecta altè ut pacis nuncius, læua tenens parazonium, celeri equo ad dextram decurrere uidetur. Ea statua Augusto facta, ut ex subscriptione liquet. POPVLI IVSSV. Nummum hunc argenteum uidi aliquando apud D. Petrū Ramos Hispanum Venetijs.

In una